OLAI
A.
IL.


Vacandum Studiis.
Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubietate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq; materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasij Logici repetiti

DIATRIBE IX.

DE

PROPOSITIONIS AFFECTIONE

Disputationis loco

Ad Sententiarum collationem in Gymnasio Dantiscano proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore Publico.

Respondentis partes obtinente

MICHAELE FALCKIO,

Dantiscano Borusso.

Ad diem 20. Decembris, S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

Anno M. DC. XXXIX.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE IX.
De Propositionis affectione.

I.

TErtium oculum in fronte Veteres addebant picturæ Jovis, ut ex signo quodam ligneo, ad quod captâ Trojâ Priamum confugisse fama est, patere narrant Agatharchides & Pausanias, *ad notandum triplex Jovis dominium, in cœlo, terrâ, & mari, memorante* Comite l. 2. Myth. c.1. *Tertium membrum, affectionem, rei ordinatè tractandæ potioribus inter cætera subjungit Logicus, Vt notet,* tribus *præcipuam rei alicujus tractationem maximè absolvi:* Definitione, divisione, & affectione. *Potissimùm enim rei rationalis cognitio* his tribus *subsistit membris, quæ haud facilè in perfectâ rei tractatione omitti debeant. Nec res ulla fuerit, quæ non definitionem aliquam, divisionem, & affectionem admiserit. Vidimus duo priora membra in propositione: Subjungendum restat tertium, quod præsentis tractationis argumentum futurum est.*

2. *Tractatio de propositionum affectionibus* vel præcognitionis *esse potest*, vel cognitionis. Illa *duplex: 1. An dentur propositionum affectiones? Atq; adeò, an hæc inscriptio sit legitima? 2. Vbi tractandæ?*

3. *Quà primum, dari affectiones quasdam propositionis patet* 1. Ex re ipsâ. *Dantur quædam habitudines propositionum rationales & ex intellectûs operatione competentes, quibus propositio vel in se ipsâ explicari, vel cum aliâ conferri potest. Sic propositionem v.g. explicare, convertere, variare, alteri opponere, vel æquipollenter conferre, vel ex aliâ e-*

ducere, vel alteri subordinare possumus, & sic rationali operatione circa eam versari. E. dantur propositionis affectiones. Nam hæ nil aliud sunt, quàm tales habitudines. Vid. t. 6.
2. Ex *communi Logicorum consensu, qui in propositionis doctrinâ aliquas affectiones tractare solent, etsi de numero illarum non consentiant.* V. Aristot. c. 7. 8. 9. 15. 16. de interp. Scheibl. d. prop. c. 9. Regium, Bartholinum, Keckerm. J. & Cor. Martini, Bertium, Burgersdicium, Petronium, Fonsecā, Apulejum l. d. interp. & syll. Categor. *& Logicos communiter. Dissentit* Arniseus in Crel. l. 2. p. com. c. 4. l. a. & ex eo Clotzius d. 7. Log. t. 2. 3. *Non satis validâ ratione. Nil obstat, affectiones has non esse propriè dictas: sufficit, si sint analogicæ. Ut subjectum est, ita & affectiones. Subjectum autem hic ens rationis & notionale, non reale est. Vel, disciplinas practicas non demonstrare affectiones de subjecto: sufficit, si enumerent eas & pertractent, Etsi non demonstrent. Quod theoreticarum discipl. est proprium. Nec opposita sunt, affectiones propositionum hic tradi, & collationis doctrinam hic proponi. Quorsum* Gutkius respicit, p. 134. syn. Log. *Nam in quibusdam affectionibus id omninò est.* V. t. 14. *Et ipsa collatio affectio aliqua ab intellectu propositioni illata est. Ut nec opposita sunt, affectiones hic tradi, & modos quosdam utendi enunciatis ad finem obtinendum. Hi enim ipsæ habitudines rationales in prop. sunt, & consequenter ipsæ affectiones.*

4. Quà secundum: *Duplex quæstio est.* 1. An benè in parte secunda Logices *de iis tractetur? Negat* Clot. c. l. t. 13. *Ex parte* Scheiblerus d. prop. c. 4. n. 119: Morisanus in l. 1. prior. c. 2. d. 2. Arniseus c. l. D. J. Mart. c. Keckerm. Log. l. 2. s. 1. c. 6. & l. 4. Log. c. 2. *Quòd semper cum discursu & illatione unius ex alio sint conjunctæ.*

Sed

Sed æquipollentia, Conversio & oppositio etiam ab illatione abstrahi & nudè citra illam spectari possunt. Sic, Omnis homo est animal, & quoadam animal est homo: Omnis homo est animal, Nullus non homo est animal: Omnis homo est doctus, Nullus homo est doctus. Consecutio *illationem habet, sed non eam, quæ syllogistico discursui est sufficiens, Ut fatetur ipse* th. 11. *ut & de Conversione*, th. 10. *& post* th. 24. *patebit. Et collatio propositionis citra consequentiam syllogisticam institui potest, ut adhuc intra propositionis formale sistatur. Sic convertere, opponere, æquipollenter statuere Enuntiata possumus, Ut discursu Syllogistico nondum opus sit. Sic contradicendo veritatem alterius Enunciati eruimus sine Syllogismo, Æquipollentiâ Claritatem sensus, Conversione reciprocationem terminorum in prop. citra Syllogismum inquirimus.* V. t. 24. *Usus hujus doctrinæ in parte tertiâ de Syllogismo magnam partem potest esse conspicuus: Ipsa tractatio formali secundæ operationis Logicæ conformis esse, eoq́ ipsi substerni potest. Cum aliud sit, aliquid hic tractari; aliud, hujus tractationis usum ad partem tertiam eleganter applicari posse. Non possum* usum affectionis in Syllogisticâ *benè adhibere, nisi sciam, quid & qualis ista affectio sit. Sic conversionem in Syllog. malè adhibebo, nisi, quid & quotuplex ea sit, priùs sciam. Sic & oppositionis, æquipollentiæ, explicationis. Sed quid & quales istæ affectiones, h.l. explicandum est. Malè multa ex uno colligam, nisi quid & quale colligere illud sit, antè sciam. Hoc hic tradendum: Illud in Syllog. parte fieri potest.* 2. An benè post divisiones propositionum? *Commodè hoc. Divisiones propositionum priores sunt affectionibus, Affectiones superveniunt prop. in partib. & specieb. suis constitutis. Et sic posteriores sunt ipsis.* V. d. 8. t. 9. *Hactenus hic postponuntur.*

5. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est* Nominalis & realis. Nominalis Homonymica, *quà Affectionis vox* Latisſimè *omnem animi vel corporis motum, Vt lætitiam, morbum, molestiam, notat.* V. Ciceron. l. 1. d. inu. c. 48. *Interdùm* ſtrictiùs *pro animi motu ſumitur. Ita affectus dicuntur amor, ira, odium. Interdùm pro incitatione quadam, diſpoſitione, relatione & Scheſi ad aliud. Ita affectuoſus dicitur, qui incitatius fertur. Interdùm ſpecialiter affectionem ſubjecti demonſtrabilis notat, quomodo in Apodicticis affectionem demonſtramus de ſubjecto per cauſam, Quomodo ſubjecti realis & prædicamentalis tantùm eſt: Interdùm generaliter qualemcunq; rei attributionem, quæ ei competere poteſt, notat. Sive res ſit prædicamentalis ſ. non prædicamentalis, ſive ens reale ſ. notionale. Sic hic ſumitur. Et Synonymica, quà etiam attributio, attributum, habitudo, qualitas, proprietas, determinatio, perfectio propoſitionis, &c. dicitur.*

6. Realis definitiva, diviſiva, & attributiva ſit. Definitio eſt: Affectio propoſitionis eſt habitudo Logica ex certâ conſideratione intellectus Logicè operantis ultrà partes & ſpecies ei conveniens.

7. *Dicitur* 1. Habitudo: *id eſt, Convenientia, competentia & determinatio quædam, ſecundùm quam propoſitio diverſimodè ex intellectu operante ſe habere poteſt. Ita quando v.g. explicatur, opponitur, convertitur, eſt certus modus intellectualis, ſecundùm quem propoſitio aliter atq; aliter ſe habet.* 2. Ex certâ conſideratione intellectus competens. *Conſideratio illa reſpicit* noſtram Logicam operationem, *quâ propoſitio poſt partes ſuas & ſpecies operationi intellectus objicitur, ut ulteriùs adhuc circa eam occupari poſſit, indeq; novas adhuc perfectiones ei inferre. Sic explicando, ſenſus*

conve-

convenientiam indagando, opponendo, dextrè limitando, analyticè resolvendo, intellectus circa eam occupare se potest, unde ex hac ulteriori intellectus operatione propositioni diversæ affectiones competunt,

8. *Fuit* Definitio *affectionis: sequitur* Divisio. *Affectiones propositionis sunt* vel absolutæ vel respectivæ. Absolutæ sunt, quæ uni propositioni solitariè per se sumptæ competere possunt. *Et sunt tres*, Suppositio, Explicatio *seu interpretatio* ac resolutio, & limitatio.

9. *Suppositio quid & quotuplex sit*, dis. 7. t. 21. *dictum. Hic additur, ut affectiones prop. omnes proponantur. Et in suppositione notanda ejus affectio, quæ ei* vel ratione totius enunciati *competit, ut ascensus & descensus, qui quadruplex ap. Scholasticos, copulativus, collectivus vel copulatus, disjunctivus & disjunctus vel divisiv⁹:* vel ratione copulæ, Vt status, *cum voces accipiuntur pro re existente & tempore per principalē copulā consignificato, Vt sedens est differens, hoc est, præsentes sedētes sunt iidem differentes:* Ampliatio, *cum terminus à minore ad majorem suppositionem extenditur, & plures differentias, quàm adsignificatio copulæ importat, complectitur. Vt, sedens surrexit, h. e. qui fuit sedens: Et* distributio *vel distractio, cum terminus tantùm ad aliam differentiam temporis, quàm copula importat, pertinet, Vt, Qui surrexit, est stans:* vel ratione termini adjuncti, *Vt restrictio, alienaito, diminutio & appellatio. Specialiter hæc apud* Fonsecam 8. Dial. c. 20. seq. & Petronium p. 2. Dial. tr. 2. c. 1. seq. *præter illos,* quos dis. 7. c. l. *citavi, deducta vide.*

10. *Interpretationis vox, Interdum translationem unius linguæ in aliam, modò quamvis vocem articulatam,*

modò externam prolocutionem, modò ipsam Enuntiationem, modò veri sensus in propositione elucidationem & resolutionem notat. Et sic hic sumitur. Definitur Interpretatio veri sensus propositionis Logica expositio. *Dicitur 1.* Expositio, id est, *actio quaedam intellectus, eruens inevidentem propositionis sensum, ut fiat clarior. Hinc libri Aristotelis de propositione inscripti sunt de Interpretatione, quia haec potissimùm in enunciationib⁹ est attendenda, & velut ultim⁹ Enunt. scopus ac apex est in Logicis, ut justus ejus sensus pateat, non alienus pro vero supponatur.* 2. Logica. *Interpretatio alia est* Verbalis, *quae ex Grammaticâ,* alia realis, *quae ex realibus disciplinis,* alia modalis, *quae ex Logicis sumenda. Hic ostenditur modus eruendi & exponendi sensum alicujus propositionis, & iste hic intelligitur.* 3. Veri sensus propositionis. *Hic finis est hujus doctrinae, ut per eam pateat modus Logicus & rationalis, quomodo obscurum Enuntiatum eruere, ambiguum, si tale videatur esse enuntiatum, determinare, intricatum exponere, semiabsolutum perficere, & ad planum sensum Logicum reducere debeamus, ut tandem verum elucescat. Ita in Enuntiatis intricatis, qualia exclusiva, exceptiva, restrictiva, comparativa, & similibus valde necessum & utile est, verè explicandi modum novisse, cum in his resolvendis saepè erratum sit, & facilè errari possit. Vnde regulas quasdam pro earum explicationib. proponere solent Logici, quas attendere utilissimum hic est.* Eas ap. Gutkium ex: 7. 8. Log. divi. & c. 5. syn. Log. memb. 3. vide.

II. *Affectiones & requisita Logicae interpretationis sunt plura. Paucis ea libando nota sequentia. 1.* Interpretatio Logica reducat propositionem ad unum & certum sensum. *Nam ambiguus & incertus sensus Logico*

nullus

nullus est. Et verum est illud tritum : Ambiguorum (*quamdiu talia sunt*) nulla est Logica operatio. *Hinc propositio Logica debet unum quid citra ambiguitatem significare, directè affirmare aut negare, nomine & verbo* (quantum possibile) recto, *id est, nominativo, & indicativo præsenti, constare.* Conf.d.7.t.18.2. Vnius propositionis Logicæ uno in loco propositę, respectu dicentis, unus est sensus literalis, etsi ex parte audientis vel legentis duplex esse possit. *Logica enuntiatio respicit* 1. Sensum, *non semper sonum verborum, Nam hic unus potest habere sensus contrarios. Sic, ajo, Illum Te superare posse, duos sensus implicat.* 2. Contextum unius loci. *Sic omnes circumstantiæ loci consideratæ unum expedient sensum, etsi aliâs verba absolutè sumpta duplicem sensum involvere possint.* 3. Respectum ad dicentē. *Ex hujus mente semper unus est sensus. Nisi de industriâ ambiguè loqui voluerit; Sic hæ propositiones tanquam non Logicæ rejiciuntur. Ex mente audientis vel legentis interdum duplex sensus esse potest. Cum & sensus dictorum legentibus videntur dubij, ut ad duo applicari possint: & obscuri seu involuti, ut non facilè erui possit, quisnam præcisè sensus locum habeat.* 4. Respectum ad sensum *literalem, qui is, quem verba vel sono vel sensu, sive proprio, sive Tropico, important. Et hic semper unus in uno dicto, non duplex, ut Papistæ volunt,* Bell. l.3. d. V.D. c.3. Etsi varias accommodationes habere possit, quorsùm pertinent, quæ de sensu mystico, Tropologico anagogico, *habent Pontificij.* V. Bell. c.l. Becanum l.1. manu. c.1. q.3. Valentiam T.1. d.1. q.1. p.5. *& alios, de quo pluribus alibi dicetur.*

12. *3. Interpretatio Logica respiciat artes tàm instrumentarias, ut Gramm. Logicam, Rhetoricam, Poëticam, quàm principales, ut Philosophiam, Theologiam, Medicinam,*

Jurisprudentiam, causas & scopum dicentis, propriam ejus, qui aliquid dixit, alio in loco explicationem, contextum quà antecedentia, consequentia, circumstantias spectatum, idiotismos lingvarum, proprios modos disciplinarum, historiam, ritus & mores seculo isti, quo aliquid dictum, usitatos, idiotismum & genus dicendi in loquente proprium, conjunctam omnium interpretandi mediorum adhibitionem, similium vel dissimilium vocum & locorum collationes, verborum suppositiones & accuratas distinctiones, doctorum hominum expositiones, ordinum variationes, speciales determinationes, Vitij Logici in sensu, non sermone, animadversiones, justas consequentiæ Logicæ observationes, legitimæ paraphrasios usurpationes, & similia, quæ multis deducta & exemplis illustrata in l. 2. pæd. Log. c. 7. *dedimus Et plura ap. Theologos & Philosophos hac de re occurrunt.* V. Meisnerum p. 2. P. S. s. 2. q. 10. & 12. Flacium p. 2. Clavis p. 82. 83. Keslerum, Scharfium, Hutterum, Keckerman. Finckium, Danhavverum, Alstedium l. 6. Log. harm. c. 12. & l. 10. Log. harm. c. 36. *Qui hæc distichorem complectitur:* Ars, Scopus, Impellens, series, restrictio, confer, Glossæ aliæ: Interpres hæc septem expendere debet. *Copiosiùs his versibus comprehendi potest:* Ars, scopus, historia, scriptor quis, & analogia, Crisis, contextus, series, absurda caveto, Glossa, & circumstant quænam, & conjungito cuncta, Justa sequela fiat, tandemq; paraphrasis esto. Solidus Interpres hæc singula pendere debet.

13. *Fuit Explicatio: Sequitur* Limitatio. *Hæc est* sensus propositionis ad certam determinationem revocatio. *Id est, ostensio, propositionem non esse absolutè & simpliciter veram, sed secundùm quid. Limitatio est* vel *formalis, quæ ipsam formam propositionis determinat; Hæc*

sit particulis modalibus, de quibus d. 8. t. 21. *Vel* materialis: *Quæ vel est à parte subjecti, cum subjectum restringitur, Vt, Om. homo, qui albus est, coloratus est, Necesse est omnem substantiam, quæ currit, moveri: Vel à parte prædicati, cum prædicatum determinatur, & ostenditur, quo respectu eaunttietur de subjecto. De hac inprimis hic. Hæc sit* per terminos vel generales, *quales sunt per se, per accidens, per aliud; absolutè, comparatè: materialiter, formaliter:* Vel speciales, *qui cuiq; materiæ sunt proprij. Et Hæc sumitur* vel *ex eodem nomine, quæ essentialis erit:* vel *diverso, quæ accidentalis, &c.* Requisita *limitationis sunt, Vt sit vera, competens, non aliena, non inepta, non contradictoria, non ab eo desumpta, quod rei non inest, conveniat modo limitandi Logico, non abeat ab eo, sit distinctè explicabilis, non inexplicabilis.* Vide Keckermann. l. 2. Log. ſ. 1. c. 4. *An autem facilè sit explicabilis, ut idem c. l. intendit, dubitari jure potest. Cum limitationes interdùm difficiles occurrant, quæ tamen veræ. Sic, motus est actus Entis in potentiâ, quatenus in potentia 3.* Physſ. c. 1. t. 6. *Hæc limitatio difficilis.* c.l. ex. 14. *Nisi inter* perſpicuum in ſe, *quod semper in limitatione, &* in reſpectu ad aliud *distingvas, quod non semper requiritur, cum huic aut illi obscura limitatio esse possit.* V. Cl. J. M. p. 488. e. Keckerman. *Nec dissimulare potest* Zanakius l. 2. c. Cl. J.M. ſ. 1. c. 4. q. 5. Crypſin ſeu occultationem *quidam affectionibus prop. absolutis addunt, quæ sit* propoſitionis non Logica involutio. *Eaq;* vel in formâ, *cum dispositio propositionis est involuta, nec facilè patet. Vt* Cic. para. 2. *Seipsa esse contentam virtutem ad beatè vivendum; Vnde propositio quà formam & dispositionem impropria oriatur:* Vel in materiâ, *cum vel deficit aliquid, Vt* Exod. 34. v. 28, *Inscripsit tabulis verba fæderis, sc. Jehova;*

 Vel

Vel redundat, ut sunt determinationes subjectorum & prædicatorum, ut, amicus certus re incertâ cernitur: Vel invertitur, ut cum subjectū & prædicatū transponuntur, Vt, Magnus quæstus est, pietas suâ sorte contenta. Ut Alstedius c.l.c.13. *hæc deducit. Sed hæc affectio non Logicæ pro. est, Sed* alius à Logicâ: Rhetoricæ, Poëticæ, & similis, *quæ demùm resolvenda, ut fiat Logica,* V. d. 7. t. 10. 20. *Logica prop. sine occultatione planè affirmare aut negare debet. Eoq; inter Logicæ Enuntiationis affectiones Crypsis doceri non debet. Falsum etiam, eam dispositionem impropriam facere. Ab extremis enim hæc est, quæ impropriè se adinvicem habent, & ob extrema talia ipsa dispositio talis fit. Vt Herodes est vulpes, Homo est Deus.* V. d. 8. t. 6. *Veritas, falsitas, universalitas, particularitas, & similia non referuntur inter affectiones propositionis, etsi etiam eam afficiant: constituunt enim affectiones disjunctas. quæ divisiones materiales propositioni sufficere possunt. Et eâ ratione* d. 8. t. 27. 28. *sunt tractatæ.*

14. *Fuerunt affectiones propositionis* absolutæ: Respectivæ *sunt, quæ propositioni collativè consideratæ competunt. Hæc collatio* vel *in propositionibus est,* vel *syllogismis. In propositionibus est, cum una cum aliâ confertur. Estq;* vel consensio vel dissensio. Consensio *fit* conversione, consecutione, *ad quam referri potest* subalternatio: æquipollentia, & conciliatione. Dissensio *fit* oppositione. *Collatio in Syllogismis est, cum propositiones in Syllogismo actuali conferuntur. Hæc fit* transpositione. *De singulis distinctè.*

15. Conversio *spectatur* vel in præcognitione, *ubi quæritur,* An jure inter affectiones enuntiationis numeretur? Ramistæ *planè omittunt, quòd in Authorum*

scriptis

scriptis nullum usum habeat, nec exemplum ex Homero, Horatio, & Poëtis ostendi queat. Et in probando inutilis arguendi ratio sit, quæ medium legitimum nullum habeat, sed idem per seipsum transpositis tantùm terminis probet, quod tautologicum. Nec ab Aristotele definita sit, eoq́ statim obscura. Et finis, ob quem proponitur, reductio, nullus & vanus in Log. sit. Ramus l. 7. sch. dial. c. 4. Beurhusius p. 2. pædag. p. 184. & in collat. p. 174. Becmannus l. 2. comp. Log. c. 4. Buscherus in harmon. p. 279. Gassendus l. 1. c. Aristot. c. 6. §. 3. Dunamus l. 2. dial. c. 4. *& alij. Falsa hæc esse* & *doctrina ac utilitas reductionis in Logicis docet, cujus & exempla apud Philosophos sunt, & necessitas eximia est:* & *in pluribus ex uno concludendis patet, ubi conversâ conclusâ simùl convertens ejus illata est, quam inferre sine conversionis doctrinâ non potes. Quòd ejus exemplum in usu vulgari Poëtarum & Rhetorum non inveniatur, nil obest: Sufficit, si in accurato & Philosophico reperiatur, cui magis inservire debet Logica, ac vulgari. Quod tautologica ejus probatio sit, similiter falsum. Vera enim, sed indirecta est, hoc Canone verissimo nixa:* Veram conversam sequitur vera convertens. *Unde si verum, O. homo est animal: etiam immotè verum, Q. animal est homo, quod ex conversione educitur. Et usum tales probationes habere exercitia disputatoria sufficienter docent. Plura horum in discursu:* Vel cognitione, *sicq́* nomine vel re. Nomine, vel homonymicè, *ubi Conversio interdùm realem rerum immutationem notat, sic aqua in vinum convertitur,* Joh. 2. *vel æqualitatem, sic Dialectica & Rhetorica conversa dicuntur,* 1. Rhe. c. 1. *& proprium de subjecto conversim dicitur, id est, æqualiter: vel mutuam relationem, sic relata conversim dicuntur, vel Consecutionem consequentis ex antecedente & vi-*

& vicissim, aut appellationis reciprocationem. Vt, si animal est in homine, homo est animal: aut qualemcunq; terminorum reciprocationem, etiam falsam, Vt, Omnis *homo est animal, Et, nullum animal est homo; vel extremorum propositionis Logicam transpositionem. Sic hic sumitur. Vel* Synonymicè; *ubi & inversio, immutatio, transpositio, translatio, consecutio per conversionem, ut notat* Alsted. l. 6. Logic. harm. c. 14. *dicitur.*

16. Re *spectata tribus absolvitur.* 1. Definitione. *Quæ hæc:* Conversio est extremorum totorum propositionis Logica transpositio, manente veritate. *Dicitur* 1. Transpositio, *id est, affectio quædam propositionis, quâ extrema ex uno loco in alium transponuntur. Ramei negant affectionem esse.* V. t. 15. *Sed definitio affectionis ei competit:* V. t. 6. 7. *Et utilis est ad collationem propositionum, & ex eâ eruendam veritatem unius propositionis, ac reductionem syllogismorum. Vt & speciales consequentias unius propositionis ex aliâ elicere, & multiplicem unius syllogismi conclusionem formare docet.* V. c. l. Conf. Keslerum de conseq. c. 11. Hunnæum l. 4. dial. p. 192. *& alios.*

17. 2. *Dicitur* Logica. *Non hic qualibet reciprocatio terminorum attenditur, etiam quæ falsum inferat ex vero.* V. t. 15. *Sed ea, quæ ex vero verum eliciat. Hæc enim Logicæ fini competens conversio est.* 3. Extremorum totorum propositionis. *Extrema hic dicuntur Termini actu jam in propositione positi. Vnde per hæc verba* 1. Distingvitur hæc conversio *1.* à reciprocatione Terminorum simplicium, *quæ Convertibilitas dicitur, & quadruplex est.* Secundùm rem, *ut homo & rationale eandem rem dicunt:* secundùm conceptum, *Vt duo synonyma planè idem dicentia, ut ensis & gladius:* secundum prædicationem, *cum*

cum proprium & subjectum idem dicunt, ut homo & docile: & secundum relationem, *cum unum dicit respectum ad alterum. Vt, pater filij pater & contrà. Hæc reciprocatio hic non tractatur.* 2. A conversione Syllogistica, *cum ex opposita conclusionis evertitur altera præmissarum, Vt in reductione ad impossibile fieri solet, quæ conversiva illatio dici solet.*

18. 2. Determinantur ipsa extrema. *Quæ sumenda 1.* Perfectivè, *ut totaliter prædicatum ponatur pro subjecto & contrà, Vnde extremorum totorum esse dicitur, (non obstante eo, quod verbum sit q. ipsa copulatio: Hoc ex parte tantùm verum est, Nam præterea & materiale significatum ad prædicatum pertinens habet,* Vid. d. 8. t. 5.) *Vnde falsa conversio: Nullus cantharus in cerevisiâ. E. nulla cerevisia in cantharo: Ita debet, E. nil quod est in cerevisia, est cantharus. Sic: Deus non fuit ab æterno creans. E. Creans non fuit ab æterno Deus. Falsum. Sic convertendum: E. qui non fuit ab æterno creans, est Deus.* 2. Resolutivè, *ut vel verba in participia, aut debitam suppositionem, vel in quamvis temporis differentiam resolvantur. Vt, Omnis equus habet quatuor pedes. E. quoddam habens quatuor pedes est equus. Nullus senex erit puer. E. nullus, qui erit puer, est vel fuit senex: id est, Nullus, qui puer futurus est, erit senex. Sic, Aliquis homo est mortuus, id est, aliquis homo, qui jam non est, sed fuit. E. aliquid mortuum est homo, sc. qui olim fuit, non qui jam est. Sic, Nullum generandum est homo, sc. existens. E. nullus homo, sc. existens, est generandus.* Conf. Stengelium d. Syllog. p.2. §.23.24. Fonsecam l. 8. Dial. c. 37. Scheiblerum d. pro. c. 10. n.23.

18. *Dicitur 4.* Salvâ veritate, *id est, ex verâ convertendâ debet sequi vera conversa, secùs falsa est conversio.*

Vt, Omnis homo est animal. E. omne animal est homo. Quoddam animal non est homo. E. quidam homo non est animal. Falsæ sunt illæ conversiones. Nam prior vera, posterior falsa. Et hic veritas illa sisti debet, Vt si prior vera, & posterior talis in legitimâ Conversione esse debeat. Aliàs vel utraq; potest esse falsa, Vt, nullus leo est animal, Et nullum animal est leo: Vel prior vera, posterior falsa. Vt, Omnis leo est animal. E. omne animal est leo: sed conversio tùm est illegitima. Alij addunt & salvâ qualitate, *id est, affirmatione & negatione.* Scheibl. c.l.n.7.8. Titelm.l.3. Log. c.18. Hunnæus l.4. Log. p.192. Bartholinus c.5.l.2. p. com. Scharfius l.2. Logic. c.10. Fonseca 3. dial. c.8. J. Martini 4. Log. c. 2. aliiq;. *Alij hoc omittunt.* Keckerman. l.2. Log. c.6. f.1. Alsted. c.l. Greberus d.11. Logic. c.11. Gutkius c.6. syn. Log. p.397. 398. Becmannus l.2. com. Log. c.4. Dn. Philippus l.2. Log. p.127. *Rectiùs hoc. Nam conversio per contrapropositionem omninò facit ex affirmante negantem, mutat enim terminos finitos in infinitos: At propositio infinita de verbo absoluto verè æquipollet neganti.* V.d.8.t.16. *Et concedit* Scheibl. c.9. n.19. *Nec* termini tantùm negati, sed ipsa propositio *per eos negans fit, & copulam negantem sortitur, Vt apertè in reductione ad primam figuram patet. Vt: Omne mixtum est corruptibile. Q. corpus non e. cor: E. quoddã corpus nõ est mixtum. Reducitur ex Baroco ad Ferio convertendo majorẽ: Quicquid non corruptibile, non est mistum. Quoddam corpus non est corruptibile. E. quoddam corpus non est mistum. Hic major omninò est negans, Respondens vocali E. in modo Ferio.* Indifferens *hoc ergò in Conversione generaliter sumptâ relinqui debet.*

20. *Fuit* Definitio *Conversionis: sequitur* Divisio

Conver-

Converſio eſt triplex. Simplex, *ubi retinetur eadem quantitas:* Per accidens, *ubi mutatur quantitas:* & per contrapoſitionem, *ubi termini finiti mutantur in infinitos, & affirmans finita in negantem infinitam, negans finita in affirmantem infinitam de ſubjecto tranſit. Sufficientia numeri facilè* ex extremorum mutatione patet. *Vel enim hac ratione ſignificatorum mutantur, ſic per contrapoſ. Conu. oritur: Vel ratione ſitus & ordinis, & hoc vel immediatè, ut ſimpliciter una ex aliâ ſequatur, ſic ſimplex, vel mediatè, ut conſequenter ſequatur, ſic per accid. Converſio oritur. Pluribus* Regium p. 624. Log. *vide. Prima locum habet* in univerſalibus negatis, *Vt, Nullus homo eſt leo. E. nullus leo eſt homo:* & particularibus affirmatis, *Vt, Quidam homo eſt doctus. E. quoddam doctum eſt homo:* Et ſingularibus de prædicato ſingulari. *Vt, Socrates eſt hic Philoſophus. E. hic Philoſophus eſt Socrates. Quæ hic in contrarium moveri ſolent, iis facilè obveneris, ſi obſerves 1. Extremorum totalitatem. 2. Verborum ampliationem,* Vid. t. 18. *3. Juſtam ſenſus evolutionem, ut ſi prior duas habeat negationes, ut affirmans præponatur: Si ſenſum copulativum, non ſumatur ut copulatum habens: ſi negans, ut ſimpliciter, ſi verò valorem affirmantis habeat, ut per accidens convertatur. Vt, O. dolus eſt id, quod nemini patrocinari debet. E. quoddam, quod nemini patrocinari debet, eſt dolus: ſi prior ſupponat indeterminatè, & poſterior ita ſupponat,* &c. V. Steng. c. l. §. 20. 21. 22. Scheibl. & Conimbr. 1. prior. c. 2. q. 1. a. 1.

21. *Secunda locum habet* in Univerſalibus affirmatis, *Vt, Omnis homo eſt animal. E. quoddam animal eſt homo:* particularibus affirmatis de prædicato ſingulari, *Vt, Quidam homo eſt Socrates. E. quidam Socrates eſt homo.*

Non

Non negatis, *Vt, quidam homo non est Petrus. E. qu. Petrus non est homo:* Et singularibus de prædicato communi affirmatis & negatis. *Vt, Petrus est homo, E. quidam homo est Petrus. Paulus non est Imperator. E. quidam Imperator non est Paulus. Quæ hic moventur, ad ea nota. 1. Aliud esse materialem reciprocationem, quæ in universali affirmato procedit, Vt, Omne animal est sentiens. E. Omne sentiens est animal: Aliud formalem conversionem. Hæc ex universali infert particularem. 2. Cætera in conversione notanda & hic locum habere.* V. t. 18. 20. *3. Exponibiles convertendas per suas exponentes, in quas redigendæ. Secùs ut tales sunt, converti non possunt. Vt: Sola Scriptura est norma Controv. fidei, Resolvatur: Scrip. e. n. c. f. Et quod non est Script. non e. n. c. f. Hæ convertuntur: Quod: quod est norma c. f. e. Script. Quoddam, qu. non est n. c. f. n. est Scriptura. 4. Modales divisas ad formam purarum exponendas: compositas non magnoperè curari à Logicis. Vt: homo necessariò est animal. E. quoddam n. ani. est homo. Om. hominis partem esse incorpoream est impossibile. E. quoddam, quod impossibile, est id, Om. h. p. e. incorp.*

22. *Tertia à quibusdam rejicitur, ut magis subtilis quàm utilis,* Eustachius S. Pauli su. Ph. p. 2. Dial. tr. 1. q. 3. *Et ejus usus non sit in reductione Syllogismorum,* Scheibl. c. l. n. 18. Reg. c. l. p. 624. Crell. p. com. l. 2. c. 5. *Et sit potiùs consecutio à negatione generis ad negationem speciei:* Schar. l. 2. Log. c. 10. *Omnia hæc aliena. 1. Subtilitas animum inscitiæ rubigine exuit.* Scal. ex. 307. f. 3. *2. Vtilis est hæc conversio in consequentiis nectendis, & syllogismis è Baroco & Bocardo ad primam figuram reducendis, qui non aliter, quàm Contrapositione reducuntur.* Vid. t. 19. & Dn. Gutk. ibi. c. l. *Hinc Philosophus eâ utitur* 1. d. coel. c. 7. & Cic.

1. d. jnu: & 2. d. fin: *3. A Consecutione adhuc abstrahi hic potest. Vt, Omnis homo est animal. Et omne, quod non est animal, non est homo. Conf.* t. 4. *Locum habet hæc conversio* in universalibus & singularibus affirmatis, *seu materia necessaria sit, sive contingens, Vt, Omnis homo est animal. Et, quod non est animal, non est homo. Socrates est homo. Et, quod non est homo, non est Socrates.* V. Scheib: n. 43. 44. & particularibes negatis, de prædicato communi. *Vt, quidam homo non est dives, Et quidam non dives, non est homo. Quidam hic requirunt existentiam subjecti in convertendâ affirmante, & conversâ negante, Vt, omnis homo est Ens, i.e. existens E. om. nō ens f. existens etiam non homo est. V.* Mend: 4. sum: s. 51. §. 4. *Et hoc non inutiliter observari potest.*

23. *Fuit* Divisio *Conversionis.* Affectiones *ejo sunt* 1. Particularem esse propositioni. *Non omnis prpositio converti potest, sed quædam. Non 1. particularis negans de prædicato singulari, Vt, quidam homo non est Paulus. E. quidam Paulus non est homo.* Dices: *Ita est convertenda: E. Quidam, qui non est Paulus, est homo. Eò Stengel c. l. inclinat* § *31. Sed hæc conversio non procedit. Facit enim ex negante affirmantem, quod in simplici & per accidens conversione, qualis hæc, non conceditur. Sæpè etiam non de prædicato communi, si uni tantùm speciei competat. Vt, Quid: homo non est medicus. E. quid: medicus non est homo: Vel E. nullus Medicus est homo. Simpliciter aut per accidens hæc non convertuntur. Per contrapositionem tamen converti possunt.* V. t. 22. *Non 2. propositio hypothetica seu composita, quà talis. Non 3. exponibilis, ut talis, V.* t. 21. *Non 4. Modalis composita, quod tentant* Scheiblerus c. l. n. 57. Nihusi: d. mod. p. 1. c. 9. Titelmannus l. 3. Dial. c. 25. *Nisi in quantum pura est, & singulari æquipollet,* V. d. 8. t. 20. *Vt:*

 Homi-

nem esse asinum est impossibile. E. quod: impossibile est id, hominem esse asinum. Vbi sensu modali sumitur, vix legitimè convertitur. Potest enim inferri ex verâ convertendâ falsa conversa, quod contra leges bonæ conversionis. Vt, Necesse est omnem Mathematicum esse doctum. E. nece: est quendam doctum esse Mathema. At hoc contingens est, quia posito genere non necessariò infertur species, sed contingenter, ut benè Arniseus in Crel. p. com. l. 2. c. 6. lit. g. infert. *Sic, necesse est omne doctum esse hominem. E. nec. est quendam hominem esse doctum. At hoc contingens est. Et omninò difficile est illas conversiones, quæ ex præmissâ necessaria sequentem eliciunt contingentem, pro veris habere, quicquid alij hic colorent.* V. Stengelium c. l. §. 28. *Aliqua habet hac de re* Aristoteles 1. prior. c. 3. *Excusatus ab* Arniseo c. I. Dices: *Eadem difficultas est in modali divisâ. Vt. O. Mathematicus necessariò est doctus. E. quoddam doctum necessariò est Mathem: Quod tamen reverâ contingens.* ℞. *Hæc conversio est illegitima. Nam modus, quia hic ad copulam pertinet, ad prædicatum totale pertinet. Et sic proinde convertendum: O. Math. nec: est do: E. quoddam, quod necessariò est doctum, est Mathematicus. Hoc verissimum. 2. Vtilem esse.* V. t. 15. 16. *3. Applicari vel in syllogismo, vel extra eum. V. t. 4. 4. Terminorum legitimam resolutionem requirere.* V. t. 18. *5. Operationis secundæ in formali suo partem esse, etsi usus ejus in 3. maximè frequens & eximius esse queat. Quorsum respiciunt, qui in syll: parte eam tractandam docent* Vt D. I. M. & alij, V. t. 4.

24. *Fuit* Conversio. Consecutio *spectatur* vel *quà nomen, Vbi interdum consequentiam syllogisticam, Ita syllogissimus sequi vel non sequi dicitur, interdum enuntiativā nota, Vt hic. Dicitur etiam consequentia, collectio, eductio propositio*

positionum, virtus collectiva Mocenico, *Vt notat* Alsted c.l. c. 15. vel. rem, Et hoc 1° quà Definitionem, *Quæ hæc.* Consecutio est unius propositionis ex alià sine medio termino vera eductio. *Dicitur 1. Eductio, id est, collectio, illatio unius ex alio, affectio quædam propositionis, quâ ex fœcunditate quadam una de se potest gignere aliam. 2. Vera, Nã falsæ hic respuuntur. 3. Sine medio termino. Per hoc differt hæc consecutio à consequentiâ syllogisticâ, quæ semper fit ex suppositione medii Termini, vel expressi, vel involuti. Et sic non validè reijcitur hæc doctrina in propositione à Rameis, &* Fonsecâ l. 3. inst. Dial. c. 6. Eustachio S. Pauli tr. 1. d. en. d. 3. q. 1. *quòd sit syllogistica. Falsum enim hoc. Hæc enim semper ex illatione medij fit: Enuntiativa sine eo. Hæc argumentationis est propria: Illa etiam Enuntiativæ partis communis. Addunt alij, & sine conversione fieri debere.* Alsted. c. l. *ex Mocenico. Alij hoc respuunt, & perinde se ad consecutionem habere dicunt, sive cũ conversione, sive sine illâ perficiatur.* Scheibl. c. l. c. 12. Scharfius 2. Log. c. 10. aliiq;. *Hoc rectio.* 2. Quà divisioné. *Cõsecutio* alia est simplex, alia subalternans. Simplex, *quæ absolutè unam infert ex aliâ.* Subalternans, *quæ subalternatam infert. Huc pertinet* subalternatio, *quæ est propositionis particularis & angustioris sub latiori subsumptio. Vt, Omnis homo est animal. E. & quidam est animal. Ex materialib. propositionib. in quib. locum habet Consec: etiam variè dividi solet, quas persequitur* Keslerus d. cons. c. 8. 9. seq: 3. Quà affectionem. *Consecutio sit ad regulas Logicas formata. Plures earum proponi solent, quas hic ob chartarum angustiam non possumus deducere.* V. Scheiblerum c. l. c. 12. n. 6. seq. Reg. c. l. p. 635. Keslerum c. 8. sequ. aliosq;.

25. *Fuit* Consecutio. *Sequitur* Æquipollentia. *Hæc tripliciter sumitur.* 1. *Qualibet convenientia terminorum in significatione sic dicitur. Sic æquipollent ensis & gladius, homo & rationale.* 2. *Qualibet propositionum in sensu convenientia. Sic æquipollent, Paries est albus, & albedo est in pariete. Panis est corpus Christi, & in pane est co: Ch:* 3. *Specialis convenientia propositionum eadem extrema retinentium, signis vel modis diversa. Sic hic sumitur. Et hæc in Log: tradi debet, Vt in syllogismo pro propositione obscurâ substitui æquipollens manifesta possit, Et hic idem subjectum & prædicatum retinendum, nisi structura syllogistica & sic totus syllogismus immutetur. Negant* Ramistæ *& pro Grammaticâ doctrinâ habent.* Dunamus l. 2. Dial. c. 4. *aliiq. Falsò. Cum nec tractandi modus, nec Scopus Grāmaticæ consentiat. Significata enim hic vocum pro veritate eruendâ intenduntur, in Grammaticis flexiones, compositiones, articulationes, derivationes, saltem proponuntur. Definitur* affectio duas propositiones diversis signis vel modis affectas, addendo vel detrahendo particulas, in eundem sensum reducens. *Vt, Omnis homo est animal. Nullus non homo est animal. Idemq. in modalibus procedit. Vt, Necesse est hominem esse animal. Non contingens est hominem esse animal. Impossibile est hominem non esse animal, Non possibile est hominem non esse animal. Vulgò habent versus: Non omnis, nullus. & c. &, Præ contradic. post contrar. præpostq. subalter. Vide* authores. *In compositis & exponibilibus propriè nulla est æquipollentia hæc, Nam in iis nec signa, nec modi, qui fundamenta æquipollentiæ. Generalis tamen in illis obtinet, quæ prop. vocibus discrepantium in sensu est convenientia.*

26. *De* Exhibitivarum propositionum æquipollentiā

tiâ *hæc quæri solet, qualiter instituenda? Exhibitivæ dicuntur, quæ monstrant subjectum complexum, & prædicatum principalius enuntiant. Vt, Hoc est vinum Rhenanum, hoc Creticum, Hoc Hispaniense, ostensis diversis Cantharis: Hoc est infans, ostensis cunis. Tales sunt in canâ, Hoc est Corpus Christi, ostenso pane benedicto: Hoc est sanguis Christi, ostenso vino benedicto: & sunt tales loquendi modi in pluribus linguis usitati. Hic* [illegible] *hoc est evolvendum, ut pateat.* Et id distinctè. *Sunt enim* hæ propositiones duplices. Vel accidentis de subjecto, *Vt, hoc, ostenso saccaro, est album; Hoc est est dulce: Harum æquipollentia est nominatione subjecti, Vnde ita exponuntur: saccarum est album: Lac est dulce:* Vel uniti unius *minùs sensibilis de Vnito altero. Vt, hoc est argentum, ostensâ crumenâ.*

27. *In his ad æquipollentiam generalem & in sensu revocandis, (nam ad specialem revocari nequeunt, cum nec signa æquipollentiæ nec modos habeant,) subjectum nec Vnitorum unum seorsim, nec utrumque distinctè enuntiare debet, sed complexionem utriusque indeterminatè: Et in explicatione paraphrasi particularum, in, cum, vel sub, sensus exprimendus. Nam* [illegible] hoc terminus complexus & connotativus est, qui duo, *materiale & formale simùl complectitur, ut omnis terminus complexus. Materiale in recto, formale in obliquo. Ea resolutio sensus ita institui debet, ut modus essendi postulat, & materiale in recto, formale in obliquo per explicationem particularum quarundam exprimendum. Falsò ergò dices: Cantharus est vinum: Vel vinum est vinum: Vel Cantharus & vinum est vinum. Omnia hæc alienè: Sed ita resolves: In vel cum Canthαro est vinum, In vel cum cunis est infans. Saccarum sub vel in hoc ostensum est dulce vel albũ. Idem de prædicationibus Sacramentalibus habendum, Corpus*

 in vel

in vel sub hoc pane exhibitum est corpus Christi. Sanguis in vel cum hoc calice aut vino exhibitus est sanguis Christi. Si interdum Ecclesiasticâ phrasi dicatur, Panis est corpus Christi, exegesis est prædictæ phraseos, & consequens quiddam non præcisè æquipollentia. Et cum sic vocatur, generali sensu *pro convenientiâ sensus, non speciali æquipollentiâ Logicâ accipitur. Vnum per alterum explicatur & sensus eruitur, ac sic æquipollentia dicitur. Nec sensus, quasi unum quidditativè sit alterum: sed notatur mysticus & arctissimus unionis modus; quo diversa abeunt hæc exempla ab ijs, quæ de Cantharo & vino, cunis & infantibus illustrandi phrasin, non modum uniendi demonstrandi gratiâ, ut sophisticè perverti solet, adduci solent. Et semper sensus phraseos in dictum modum resolvitur: In, cum, sub, pane præsentissimè unitum exhibetur corpus Christi. Quidquid exclament dissentientes:* In, cum, sub, totum fallunt monosyllaba mundum! *Ipsa scriptura non abhorret ab ejusmodi expositione. Christus est Deus* 1. Joh. 5. v. 20. *& DEus erat in Christo.* 2. Cor. 5. v. 19. cum Christo. Act. 10. v. 38. *Verbum caro factum est,* Joh. 1. v. 14. *Et Deus manifestatus est in carne,* 1. Tim. 3. v. 16. *Et ante nos Patres particulas tales exegeticas adhibuerunt. Quæ* Pareus, Pincierus, Beza, Musculus, Sadeel, Vrsinus, Keckermannus, *aliiq; contrà tricantur, in discursu expedientur.*

28. *Fuit* æquipollentia. Conciliatio est affectio propositionum modum ad convenientiam in specie pugnantes reducendi ostendens. *Perficitur observando media interpretationis, de quibus* t. 12. *& resolvendo terminos simplices, ac media legitimæ oppositionis attendendo. De quibus* Vid. Keckerm. l. 2. Gym. Log. c. 4. *Res hoc versu comprehendi potest:* Terminus, & sensus, circumstans, quidvè repugnans.

29. *Hactenùs* affectiones collativæ per consensionem: *sequūtur, quæ per dissensionem. Ea est vel* diversitas *vel* oppositio. Illa est dissensio propositionis sine pugnâ. *Vt ille delectatur jure, id est, jusculo. Ille non amat jus, id est, justum.* V. Alsted. c. l. c. 17. *Hæc variè sumitur.* Vel *ut rebus competit, sic Metaphysici est:* Vel *ut Terminis, Ita albus, niger, sunt opposita: sic ad partem primam pertinet. V.* d. 5. t. 22. Vel *ut enuntiationibus. Sic hic. Hæc consideratio est multùm diversa à priori. Sic, Omnis homo est niger, & omnis homo est albus, sunt ex terminis oppositis, & tamen propositiones non sunt opposita. Definitur* affectio propositionum pugnam earum identicè sumptarum ostendens. *Divisio ejus varia est. Quidam unam, alij duas, alij tres, alij quatuor, alij quinq́ species faciunt. Adverte sequentia.* 1. Oppositio, *ut est notio exactè dividens verum à falso, est una, nempe Contradictoria. Hæc enim præcisè unum verum dicit, alterum falsum. Et impossibile est duas Contradictorias simùl esse vel* veras, *quod qui diceret, fuste corrigendus esset, judice* Mendozâ, d. 1. Meta. s. 3. §. 21. Conf. Sa. d. Lub. l. 1. d. int. a. 7. Vel falsas, *ut olim voluit Piscator, & tandem Contrarias substituit pro Contradictoriis.* V. Arnis. c. l. c. 4. l. g. Goclen. p. 3. prob. p. 22. Conf. Danhauver. id. disp. s. 2. §. 23. Egoq́; latiùs deduxi in tr. d. prin. Contradict. s. 3. §. 21. sequ: *Similiter ut oppositio applicatur Enuntiationibus compositis vel exponibilibus, est una, Contradictio. Nam reliquæ oppositiones hic locum non habent.* Apulejus *Contradictorias alterutras vocat, quòd alterutram veram esse necessum sit,* d. interp. p. 31.

30. 2. Oppositio *applicata prop. simplicibus & modalibus est duplex, Contraria & contradictoria. Contrarias* Apulejus c. l. *incongruas vocat, quòd nunquam simùl fiant veræ, in-*

ra, interdum tamen simùl mentiantur. Opp. particularibus applicata de uno subjecto facit subcontrariam oppositionem. Et sic tolerantur Dn. Melanch. l. 2. Log. p. 124. Mendoza. d. 4. sum. s. 6. §. 20. *Aliiq; Aristotelici, qui tres oppositiones statuunt: Quamvis ita ad contradictoriam referri potest: De diversis subjectis nullam facit oppositionem, Generalis enim oppositionis lex violatur, ut de eodem fiat, non diverso. Subcontrarias* Apulejus. c. l. *suppares vocat, quòd nuquam simùl mentiantur, interdum a. simùl veræ sint.* 4. Oppositio *formis enuntiationum in universum applicata est quintuplex, Contraria, Contradictoria, subcontraria, indefinita, & singularis. Et sic Crellius toleratur* c. l. c. 4. Conf. Arnis. c. l. l. b. *Subalternam, quam* Libavius *infert* l. 2. Log. Ph. Ra. p. 515. non agnoscimus. *Non enim Oppositio, sed subordinatio est.* V. t. 24. 5. Opp. Contraria *est pugna duarum universalium in qualitate:* Contradictoria *universalis & particularis: & optimè formatur* toti prop. *affirmativæ, cujuscunq; modi aut formæ enuntiandi sit*, præponendo signum negandi, non. *Negat* Mendoza c. l. s. 7. §. 26. *in infinitis & exclusivis id procedere. Sed omninò & in illis procedit, modò competens fiat resolutio.* V. t. 20. 21. &in cit. tractatu s. 3. *latissimè deductum. Oppositorum requisita sume ex* d. 5. t. 17. *De modalium oppositione* cit. tractatu *satis actum.*

31. *Fuerunt* affectiones respectivæ *in propositionibus: sequitur, quæ in* syllogismis. *Ea est* transpositio. Quæ est duarum prop. ob reductionem in syllogismo translocatio. *Hæc in reductione observanda, Ut cum M. vult transponi. Sic, prima figura locat majorem in sede minoris, &c.* V. Authores. Aristoteles *ejus in reductione non meminit, quia clarior, quàm ut explicaretur, Ut notat* Morisanus l. 1. priorum c. 2.

32. *Fuerunt* divisiones *affectionum propositionis*: Attributa *earum sunt* 1. Prop. *variationes, explicationes, collationes ostendere, & sic syllogismis formandis eas præparare.* 2. *Fæcunditatem prop. monstrare.* 3. *Veritati meliùs eruendæ media subministrare.* 4. *Omnem propositionum habitudinem, vel consentiendi, vel dissentiendi explicare.* 5. *Intelligendis eò meliùs Logicorum scriptis inservire, &c.*

33. Ita absolutè *propositio tractata*: Respectivè *ratione convenientiæ & discrepantiæ à syllogismis & terminis tractari possit.* Convenit, *quòd Logica notio ad ratiocinandũ & consequenter verum eruendum directa sit.* Differt à Termino, *quòd magis complexa & composita notio sit*: A syllogismo, *Quòd hic magis adhuc complexus sit, & discursum ex medio inferat, qui non in propositione.* *Hæc de* Vniversâ Enuntiationis naturâ *dicta sufficiant.*

Auctarium.

Cum d. 8. t. 6. copulam Tropicam esse posse *assertum sit, hocq́ dubiis & argumentis in contrarium adducendis nõ careat, quæ omnia ibi tractari nequierũt, jã* auctarij *loco quædã adducẽda erũt.* Dices 1. Si copula tropica esse potest, *& vera aut falsa, finita aut infinita, naturalis a. præternaturalis, necessaria a. cõtingens esse poterit. Sed hæc absurda* E. ℞. 1. *Si copula in se & ratione formalis sui est tropica, hæc sequerẽtur; Jã in ratione materialis significati & ut cũ materiali significato, quod subj. attribuit, coalescit, tantùm talis dicitur.* 2. *Et ratione attributi materialium prædicatorum veram aut falsam eam dici nil absurdi est.* *Vt n. Vera est propos: Cujus prædicatum verè inest subjecto, falsa, cujus falsò: sic & cujus copula verè attribuens, vera, falsò, falsa dici poterit.* *Cætera meliùs negantur de copulâ, quia affectiones materiæ & materialis*

rialis prædicati tantũ sunt, quod vel finitum vel infinitũ, nat. vel præternat. est. Sed proprietas a. impropr: & attributionem respicit, quæ in copulâ esse potest. Dices 2. Sic & dispositio *impropria & Tropica dici poterit. R. Non sequitur. Dispositio forma tantũ est in prop: quæ tropica non est. Copula & materiale significatum habet, cujus ratione cũ prædicato materiali coalescit. Cum dispositionem tropicam dicimus, eâ ratione id fiet, quà* tota propositio *impropria dicitur, quæ essentialiter est dispositio. Hæc a. tota non sola copula est, sed & terminos copulatos complectitur, Et ab his origo & radix improprietatis est*, d. 8. t. 6. 3. Si attributio præd. *ad subj. impropria, E. & dispositio, nã hæc ipsa attributio. Sed posterius non.* E. *R.* Neg. *Maj. Attributio solius prædicati ad subjectum est, & per copulam fit*, V. c. l. t. 5. *Dispositio totius prop: & subjecti & prædicati est, Vnde terminorum dicitur, non termini. Attributio copulæ ad prædicatum pertinentis est: Dispositio tàm subjectum cum prædicato, quàm hoc cum illo connectit. 4. Si copula ratione materialis significati tropica, E. actus essendi a. existendi tropicus erit. Hic enim materiale copulæ signif. At hæc nunquam tropica esse possunt. Existentia vel vera vel ficta esse potest, nunquam propria aut impropria. E. nec copula R. Actus essendi & propositiones essentiales nunquam sunt tropici, semper proprij. Actus existendi tropici esse possunt, sed ut coalescunt cum prædicatis materialib. non absolutè & in se. Si copula ratione materialis significati absolutè in se & solitarie sumpti potest esse Tropica, tùm & existentia talis erit. Sed nos hoc non dicimus. Absolutè & in se nequit esse tropica, sed per prædicatum materiale, cumquo coalescit. Sic existentia non est Tropica in Herode vivente: sed existentia vulpis in eo. Herodes existit vulpes tropicè, Existere vulpem est tropicum in Herode, leonem in Nerone, non sola vulpes. Plura in discursu.*

H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.